ab eius cultu recedere in peruicatus peccatum est difficiliorque remissio. Et quando in solum
virum quis peccat placato sibi viro facit deum sibi placabilem. In dominum autem cum quis pec-
cat quis orabit pro eo? ac si diceret. Per quem deum sibi in quem peccavit propitium facere
poterit? Venit autem vir dei ad hely et dixit ad eum. Haec dicit dominus. Numquid non aperte re-
uelatus sum domui patris tui et cetera. Hunc virum dei iudei finees dicunt quem et he-
liam autumant. Revelatus vero dominus fuisse dicitur domui patris eius id est aaron in eo loco ubi
ait ad eum. Vade in occursum moysi in desertum et cetera. In sacerdotem vero electus est
ex omnibus tribubus israel sic habes in elesmoth. et in uaiecra. Quod vero ait venit vir
dei ad hely et cetera que sequuntur. ante tempus helchane fuisse arbitrantur. Sed hec ob
gloriam samuelis interposita dicuntur. Ecce dies veniunt et precidam brachium tuum
et cetera. Brachium archam vocat et dignitatem sacerdotii. Ut non sit senex in domo tua.
Senem sacerdotem magnum dicit. et videbis emulum tuum in templo et cetera. Emu-
lus domus hely. Sadoc sacerdos extitit qui electo abiatar a salomone sacerdotium
suscepit. sic in malachim legitur. precepitque salomon habiatar ne esset sacer-
dos domini et cetera. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo et cetera.
Ideo dominus se non penitus ablaturum ex domo hely virum ab altari suo dicit ut semper
de domo hely esset vir in domo domini qui in dignitate sacerdotii alium substitutum
videret et se eadem dignitate privatum videns oculi eius deficerent et anima tabesceret.
Unde et in sequentibus dicitur. Veniat ut adoret eum idem sacerdotem magnum et accipiat ab
eo nummum argenteum et tortam panis dicatque. Obsecro dimitte me ad unam partem
sacerdotalem ut comedam bucellam panis in loco tabernaculi sicut ceteri sacerdotes.
Alia translatio sic habet. Et erit qui superfuerit in domo tua veniet adorare eum
cum obulo argenti et pane uno dicens. Pone me in uno sacrificio tuo
manducare panem domini. Et sermo domini erat preciosus in diebus illis. Preciosus dicitur
quod preter erat. Omne enim quod rarum est preciosum est. Non erat visio manife-
sta. quia prophetia non plene manifestabatur. Factum est ergo in die quadam hely iacebat in
loco suo et oculi eius caligaverant nec poterat videre. Hic enim distinguendum
est et postea inferendum et antequam lucerna dei extingueretur in templo domini ubi erat archa